[illegible] tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis [illegible] evangelium [illegible] [illegible]

Primum quidem sermonem feci de omnibus o Theophile que cepit Iesus facere et docere usque in diem qua precipiens apostolis per Spiritum sanctum quos elegit assumptus est. Quibus et prebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies .xl. apparens eis et loquens de regno Dei. Et convescens precepit eis ab Ierosolimis ne discederent sed expectarent promissionem Patris quam audistis inquit per os meum. Quia Iohannes quidem baptizavit aqua vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis Non est vestrum nosse tempora vel momenta que Pater posuit in sua potestate. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudea et Samaria et usque ad ultimum terre. Et cum hec dixisset videntibus illis elevatus est et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in celum euntem illum ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis qui et dixerunt Viri Galilei quid statis aspicientes in celum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in celum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum. Tunc reversi sunt Ierosolimam a monte qui vocatur Oliveti qui est iuxta Ierusalem sabbati habens iter. Et cum introissent in cenaculum ascenderunt ubi manebant Petrus et Iohannes Iacobus et Andreas Philippus et Thomas Bartholomeus et Matheus Iacobus Alphei et Symon Zelotes et Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria matre Iesu et fratribus eius. Et in diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul fere .cxx.) Viri fratres oportet impleri scripturam quam predixit Spiritus sanctus per os David de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum qui connumera[illegible]